



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 4. Suadetur hæc præstantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

se oportunitas: excellentiam illius non salvat. Nam, imprimis, alia virtutes comparatae inter se, excedunt sese, & non raro hæ maximè, quarum minima oportunitas, ut actuum heroicorum, actus Martyrii, & tamen hic actus præferuntur Christo reliquis actibus. Rursus, sicut in naturalibus, obvia sunt minimæ æstimationis; numerusque pretium demit; cur pariter in moralibus idem non dicendum: Imò spectabit hoc ad ordinem naturæ, ut excellentissima rara sint: idque idè, quia excellentissimorum rara principia; hinc ne occasiones illæ essent supervacaneæ, raræ à natura debuerunt ordinari.

Insuper actuum ipsorum iustitiam aliqui frequentius, aliteriùs sunt, numquidne jam hoc solo titulo, illi, qui ordinariè sunt, magis erunt illustres? Tum quia. Ultimum punctum attolendi iustitiam supra alias virtutes; non convincit. Nam quamvis iustus faciat, quod debet, reddatque unicuique quod suum est, non minus adhuc laudabilis est, quis enim cum non laudet, si non dirigat restitutionem ad finem vitiosum, quia illam v. g. potest dirigere ad captandam gloriam: quis item non laudet iustum in circumstantia plurium longè iniustorum? si item reddat tempore difficili, &c. similia: quibus videtur fieri retributio pro actu iustitiæ. Quod autem non det suum, sed reddat alienum, adhuc deficit dignitatem virtutis, sicut deficit dignitatem obsequii, aliàs ab obligato facti. Sique modus est attollendi virtutes, eò quod faciant non debitum; is etiam erit modus deprimendi iustitiam: cum in actu illius intercedat jus, & debitum, neque ab hoc debito absolvat iustitia: quod autem hoc ipsum debitum voluntate libera, & æque, ut ita dicam, titulo libertatis, gratuita facit, atque dum ponitur actus v. g. magnificentia, id etiam non attollit dignitatem iustitiæ, quia sicut aliarum virtutum actus, ex libertate facti, modò sint morales non merentur maximum plausum; ita nec merebitur iustitia; præcipue, cum in exhibitione illius actus, maximas partes obtineat æque libera voluntas. Et sicut scriptura laudat probum: quia cum potuisset facere mala, & non fecit: ita vultissimis scripturæ laudibus proportionando laudes objectivas aliarum virtutum, hæc deberet esse præstantissima, quæ, cum posset non facere, facit, adeoque ponit indebitum. Hinc etiam opera supererogationis attolluntur supra alia opera; iustitia autem facit quod debet. Denique sicut actus heroicissimi charitatis per hoc non redduntur viliores, quia sunt obnoxii variis interpretationibus, hæcque interpretationes sunt continentur à viris cordatis; ita nec subduntur per hoc alia virtutes iustitiæ: quia iustitia non est obnoxia variis interpretationibus.

Stando tamen in mente S. Thom. q. 58. a. 12. Explicandum est, quomodo iustitia præemi-

neat inter omnes virtutes morales: dicitur morales, ut excludantur virtutes, quæ non tam ad nostros mores, inter nos regulandos, spectant, quàm versantur circa Deum, vel tanquam objectum, ut in virtutibus Theologicis, vel tanquam finem cui, quomodo circa illum versatur Religio.

Punctum Difficultatis 4.

Suadetur hæc præstantia.

PRÆMITTO 1. *Anima nostra, sive identificet sibi suas potentias, sive non, dat nihilominus locum, ut una potentia, vel re, vel formalitate excedat aliam: Et sic indubiè, per omnes, potentia intellectiva excedit visivam ocularem, non quidem excessu entitativo, si hæ potentia identificantur; sed excessu formalitatis, oriundæ à diversis connotatis nobilioribus, vel minus nobilibus; & ita connotatum intellectus spiritualis, ad quod dicit ordinem intellectiva, nobilior est præ connotato visionis corporalis, adeoque formalisat, & ponit potentiam intellectivam nobiliorem, præ visivam, quæ etiam entitativè est dignior præ visivam, si sunt distinctæ hæ potentia realiter. Quæ dignitas non solum est inter potentias, quæ intra proximum genus idem non continentur, ut non continentur intellectiva & visiva, sed etiam inter potentias, proximum etiam idem genus participantes, quales sunt, ipsæ potentia sensitiva, inter quas potentiam tactivam ignobilissimam appellat Arist. & animalibus etiam imperfectissimis debitam; quod si dignitas potentiarum potest esse, etiam inter potentias, idem proximum genus participantes, poterit etiam esse inter potentias idem genus quod est appetitus, participantes; & quia possumus appetere aliquid, vel tanquam bonum non nisi rationale, adeoque extra sphaeram positum brutorum, vel aliquid commune etiam brutis, idque vel concupiscendo sensualiter, vel irascendo, fit, ut triplex confuscat appetitus, rationalis, concupiscibilis, irascibilis: quas inter potentias appetitivas nobilissima est appetitiva rationalis; quia etiam nobilissimum objectum, circa quod nobilissimo etiam modo versatur, habet: nempe bonum naturæ rationalis.*

PRÆMITTO 2. *Quod si inter potentias appetitivas præstantissima est potentia appetitiva rationalis; etiam comprincipia virtuosæ, adjuvantia hunc appetitum, debent esse, proportionaliter loquendo, præstantiora comprincipiis virtuosis, adjuvantibus ignobiliores appetitus, quod ipsum sic ulterius explanatur. Res aliqua, quo perfectior & nobilior est, eò perfectiora determinat sibi principia, saltem titulo proportionis, ad quam Deus, & natura attendunt, horrentque tanquam*

R. P.
TH. MILOD
JANOWSKI
Tom 3. c. 4.
D. VI
6

tanquam monstrum, improprietates. Probat hoc Inductio. Nam tribuimus Angelis, quo perfectiores sunt, eò perfectiores & universales species, ex solo titulo, quia magis sunt proportionata: & si non concederentur magis universales, saltem concedi deberent perfectiores in entitate, continentiaque nobiliorum prædicatorum: Anima etiam, quæ præstantissima est, inter formas, præstantissimum comprincipium v. g. intellectum sibi vendicat, imò & ipsa organa totiusque corporis magnificentiorum structuram, sibi determinat.

Quorum omnium hæc ulterior, Ratio est: quia primus custos & Auctor proportionis, est Deus, & natura, cui proportioni contraveniretur, si digniori agentino offerrentur digniora comprincipia. Hinc v. g. dedecet hominem rostrum avis, vel ungula bovis; imò si non haberet vim elevandi comprincipium, hoc ipso non esset illud agens dignius: restringeretur enim in dignitate agendi per comprincipium ignobilius, maluitque natura providere proportionatum comprincipium, quam tum primum suos defectus supplere; & sicut, si daretur optio animæ, malletne intellectum, an sensum communem ingeniosissimi animalis? vel, malletne Symmetriam pulcherrimæ avis, saltem quoad aliqua? eligeret nonnisi hanc Symmetriam, quam habet: ita natura & Auctor naturæ, quæ tales appetitus prævertit, providet illis proportionata principia. Quia autem appetitus rationalis est dignior reliquis, etiam comprincipia illius erunt digniora: consequenter, iustitia, quæ est comprincipium virtuosum debituque nonnisi appetitui rationali, estque in illo tanquam in subiecto, dignior erit.

PRÆMITTO 3. *Institiam, esse nonnisi appetitui rationali debitam, inde convincitur.* Datur proportio inter noscitivum & appetitivum. Hinc appetitus sensitivus non illuminatur in sua cæcitate per notitiam rationalem: nam hic nescit delectabilia spiritualia, quæ non est natus appetere appetitus sensitivus: & per notitiam sensualem, non illuminatur appetitus rationalis: quia hic non prosequitur voluptates corporales, ut tales: notitia enim, qua illuminantur animantia ad manducandum scænum, per cognitiam illius ad se convenientiam, non excitat, nec excitaret appetitum hominis, ad comedendum idem, sicque de reliquis, quæ ostendunt dari proportionem inter noscitivum & appetitivum. Quod ipsum in hoc ulterius fundatur: quia cum natura intendat semper bonum, etiam conferendo noscitiva principia, idem intendere debuit. Quia verò hæc bona non tantum sunt sensibilia, sed & spiritualia, debuit dari principium in creatura, corpus & Spiritum habente, utriusque boni perceptivum: quia verò perceptio hæc, non tantum perfici debuit tractione boni ad se, quod sit per repræsentationem intentionalem, quæ ponit possessionem objecti intranoscensentem: sed etiam perfici debuit, per tractionem, quæ objectum bonum, trahat potentiam ad se, debuerunt esse potentia trahibiles; & hi sunt appetitus. Et quia bona trahentia non tantum erant sensibilia, sed etiam spiritualia, debuit dari appetitus trahibilis, non solum sensitivus, sed etiam rationalis, ad servandam scilicet proportionem inter noscitivum & appetitivum, ut videlicet noscitivo rationali, responderet appetitus rationalis, & noscitivo sensitivo, appetitus sensitivus. Quod si datur proportio inter noscitivum rationale & appetitum rationale, id dicitur nonnisi appetitus rationalis velle, quod nonnisi noscitivum rationale attingit: in hoc enim, ut dictum est, hæc proportio consistit. Cum autem honestatem æquitatis ad jus alterius, nulla alia potentia attingat, præter intellectum: est enim æqualitas illa non objectum sensuum; neque enim est vel colorata, ut percipiatur ab oculo; vel sonus, ut audiatur &c. sit, ut illam nonnisi intellectus percipiat: adeoque, ex dicta proportionem inter noscitivum & appetitivum, debet illam nonnisi appetitus rationalis prosequi.

PRÆMITTO 4. *Quod virtus nata prosequi aliquod bonum, sit virtus ejus potentie animæ, quæ illud bonum prosequitur.* Ratio præmissi est, imprimis inductio. Nam bonum v. g. quod prosequitur Metaphysica; est verum reperibile in ente, quæ ens est, spectatque Metaphysica ad intellectum, non ad voluntatem. E contra Charitas, cum sit nata prosequi bonum, quæ tale, virtus est, non intellectus, quæ ad verum attendit, sed voluntatis; cujus est attendere bono, quæ tali. Idem videre est, non tam in habitibus, quam in habilitatibus receptis in organis: nam habilitas Cytharificandi recipitur in manu, cujus est bonum, artificiosa tactio Cytharæ, & saltatoria facilitas non manus, sed pedes: eò quod saltus, sit bonum pedum.

Quod ipsum ulterius, in hoc fundatur. Quia regula universalis dividendi virtutes per potentias, debet esse aliqua: cum ergo non sit alia, quam ipsum objectum, illæ dicentur virtutes hujus potentie, quæ idem objectum cum illa potentia habent. Cumque hæc divisio virtutum, ut sint hujus potius potentie, quam illius, sit divisio per specificationem virtutum, conditionemque earundem, cum ipsa conditio virtutum & specificatio ab objectis habeatur; etiam ut hæc illius sint potentie virtutes, ab objecto habebitur. Sicut ergo hæc potentia, ut sit hæc potentia, habetur ab objecto: ita ab eodem objecto habebitur, ut hæc virtus, sit hujus potentie virtus, cum qua potentia, illa virtus, convenit in objecto. Si autem virtus nata prosequi aliquod bonum, est virtus ejus potentie animæ, quæ illud bonum prosequitur, etiam iustitia

